

Band VIII., Nr. 3276, Seite 415-417

Ritter Walter von Stadion beurkundet, dass das Kloster Ochsenhausen seine Rechte an dem von Anselm von Justingen zu Lehen gehenden Ort Bischmannshausen, die er ihm und Kloster St. Blasien gemeinsam geschenkt hat, dem letzteren abgetreten und für die dafür gezahlte Abfindungssumme Güter und Rechte in Ringschnait gekauft hat.

Burg Grundsheim, 1283. September 2.

Universis Christi fidelibus tam posteris quam presentibus hanc paginam inspecturis Waltherus de Stadegū miles notitiam subscriptorum. Ne calcare possit oblivio gesta modernorum, stilo scripturarum ad cautelam sunt solita perhennari. Cum itaque voto et animo a multis retro temporibus conceperim pietatis intuitu dare et relinquere de bonis seu possessionibus meis religiosis locis, videlicet monasteriis sancti Blasii Nigre Silve et in Ohsenhusen ordinis sancti Benedicti Constantiensis dyocesis, scire ac nosce volo omnes et singulos, quos nosce fuerit oportunum, quod ego propter deum in remedium anime mee progenitorumque meorum iam dictis monasteriis eorundemque conventibus dedi donavi in ipsaque transtuli pro indiviso adhibita sollempnitate legitima oppidum seu villam, quod nuncupatur Pishishusen universaliter cum omnibus sibi annexis pratis pascuis cultis et incultis piscinis viis et inviis nec non cum omni alio iure, quod michi in dicta villa aliquomodo competebat, preter ius advocatie, pro quo quidem iure pullos solvendo singulis annis de dicta villa reservavi pro tempore vite mee, me vero cedente vel decedente tria maltera avene mensure in Biberach et non amplius meis heredibus persolventur. Accessit etiam huic donationi consensus expressus nobilis viri Anselmi de Justingen, cui proprietates eiusdem ville pertinebat, a quo etiam de dicta villa seu oppido extiti infeodatus, qui quidem dominus Anselmus proprietatem prefatis monasteriis ob causam predictam scilicet pietatis intuitu tradidit et donavit. Facta est hec nichilominus liberalitas seu donatio de villa prenotata monasteriis memoratis Engeburga uxore mea legitima liberisque meis Ludewico et Walthero, Jodenta sorore mea, Gōtfrido viro nobili de Burladingen, Cristina filia Judente predictae presentibus et consentientibus ac interponentibus iuramentum corporale de dicta liberalitate seu donatione non revocanda in parte vel in toto aliquatenus in futurum. Ceterum hiis circa donationem seu liberalitatem premissam per me fideliter consumatis viri religiosi . . . prepositus . . . prior totusque conventus monasterii in Ohsenhusen pro se monasterioque suo omne ius sibi competens in villa seu oppido Pishishusen titulo venditionis transtulerunt in dilectos in Christo . . . abbatem et conventum monasterii sancti Blasii ipsorumque monasterium adhibita verborum

II

et gestuum sollempnitate debita receptaque certa summa pecunie videlicet quindecim marcis argenti boni ponderis in Biberach, de qua ipsi monasterio in Ohnsenhusen est plenarie satisfactum, quam quidem pecuniam solverunt in emptione fundorum quorundam et advocatie ville in Rintsnait, quibus annexum est ius patronatus ville Rintsnait proxime nominate. Nos vero Engeburga legitima uxor domini Walteri militis de Stadegûn, Ludewicus et Walterus filii eorundem, Judenta soror prefati Walteri militis uxorque legitima nobilis viri Gôtfridi de Burladingen nec non Cristina filia Judente memorate confitemur omnia et singula fore vera nosque ad observationem ipsorum in toto et in parte astringimus iuramento corporali confitemurque presentibus astrinxisse cessante pro nobis omni iuris auxilio tam canonici quam civilis litteris a sede apostolica impetratis vel impetrandis beneficio restitutionis in integrum omnique alio remedio, quo mediante predictæ liberalitates possent in aliqua sui parte violari, et appendi petimus sigilla virorum discretorum divina permissione . . . abbatis monasterii in Wibelingen, . . . prioris et conventus monasterii in Ohnsenhusen, domini Anshelmi de Justingen et Walteri militis de Stadegûn in evidentiam premissorum. Nos vero Anshelmus de Justingen nobilis omnia et singula premissa confitemur fore vera tam circa donationem per nos factam quam circa alia et ad observationem eorum nos astringimus cessante pro nobis heredibusque nostris omni iuris auxilio tam canonici quam civilis omnique refugio, quo mediante predicta in toto vel in parte possent quomodolibet retractari, sigillum nostrum ad robur perpetuum premissorum nec non ad rogatum dilectorum in Christo . . . prioris . . . prepositi et totius conventus monasterii in Ohnsenhusen, Engelburge uxoris legitime viri providi Walteri militis de Stadegûn, Ludewici et Walteri filiorum eorundem, Judente sororis prefati Walteri militis, nobilis viri Gôtfridi de Burladingen nec non Cristine filie Judente prelibate presentibus appendendo. Ceterum nos . . . prior, . . . prepositus totusque conventus monasterii in Ohnsenhusen ordinis sancti Benedicti prospectis melioribus nostrique monasterii utilitate debita sollempnitate prehabita vero venditionis titulo omne ius nobis nostroque monasterio in villa Pishishusen sepedicta competens transtulimus in monasterium sancti Blasii Nigre Silve ordinis sancti Benedicti tractatu debito servato receptisque XV marcis argenti legalis, quas impendimus et solvimus in emptione fundorum et advocatie ville in Rintsnait, confitentes omnia premissa fore vera, sigillum nostrum una cum appensione sigillorum divina permissione abbatis in Wibelingen, nobilis viri domini Anshelmi de Justingen et domini Walteri de Stadegûn militis ad incommutabilem firmitatem presentibus appendendo. In cuius rei testimonium omnium et singulorum premissorum presens instrumentum ad eternam rei bene geste certitudinem et memoriam sigilli mei una cum appensione sigillorum dominorum videlicet . . . abbatis monasterii in Wibelingen, Anshelmi de Justingen nobilis nec non prioris et conventus

III

monasterii in Ohsenhusen duxi munimine roborandum, heredes meos ad observationem plenariam obligans premissorum.

 Acta sunt hec in castro meo Grunzhain, anno domini MCCLXXXIII., IV. nonas Septembris, indictione XI., presentibus divina permissione Alberto abbate monasterii in Wibelingen, Die[thoho] de Winidûn, Gôtfrido de Burladingen, Her[manno] de Hornstain milite, Rûd. rectore ecclesie in Utenwille, Hugone de Grunzhain, Ûlrico et Eber. filiis Hugonis predicti et aliis quam pluribus fide dignis.

—

Nach dem Original.

 An grün-weiß-braun-gelben Hanfschnüren vier Siegel: 1) Das pitzovale Siegel des Abts von Wiblingen, 52 : 32 mm: Der stehende Abt, in der Rechten den Stab, in der Linken ein Buch vor die Brust haltend, links von ihm eine Lilie; Umschrift: + S . ALBERTI . ELECTI . MON . IN . WIBELINGE . . 2) Das spitzovale Siegel des Priors von Ochsenhausen, 52 : 32 mm.: Ein Ochse, der aus einem gotischen, mit einem Sattlerreiter versehenen Gebäude hervortritt; Umschrift: + SIGILLVM PRIORIS IN OHSSENHVSEN. 3) Das runde Siegel Anshelms von Justingen, 50 mm: In einem Schild ein geästeter Schrägbalken. Die vollständige Umschrift lautet: + . Sigillum . ANSHALMI . DE . IVSTINGEN . SENIORIS. 4) Das schildförmige Siegel des Ausstellers: 40 : 36 mm.: drei gestürzte Wolfsangeln; Umschrift: + *Sigillum* . WALT*eri* . MILITIS . DE . STADEGVN.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

Fürstlich Fürstenbergisches Archiv in Donaueschingen

Signatur/Titel des Originals:

OA 1, Neufra, IIIa/1

Überlieferung und Textkritik:

Original. Papierkopie im HStA Stuttgart B 481 Bü 77.

Editionen:

JOHANN WILHELM BRAUN (BEARB.): Urkundenbuch des Klosters Sankt Blasien im Schwarzwald. Von den Anfängen bis zum Jahr 1299, 2 Bde., Stuttgart 2003 (Veröffentlichungen der Kommission für Geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg, Reihe A, Bd. 23, 1-2), Bd. 1, S. 763–766, Nr. 587.

Regesten:

UB Fürstenberg, Bd. 5, S. 194.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Burg Grundsheim

Ortsindex:

Biberach an der Riß Wohnplatz (17113)
 Biberach an der Riß, BC
 Bischmannshausen Wohnplatz (17106)
 Bischmannshausen, Betzenweiler, BC
 Burladingen Wohnplatz (16317)
 Burladingen, BL
 Grundsheim Wohnplatz (16823)
 Grundsheim, UL
 Hornstein Wohnplatz (21053)
 Hornstein, Bingen, SIG
 Justingen Wohnplatz (16938)
 Justingen, Schelklingen, UL
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Oberstadion Wohnplatz (16913)
 Oberstadion, UL
 Ochsenhausen Wohnplatz (17448)
 Ochsenhausen, BC
 Ringschnait Wohnplatz

(17132)
 Ringschnait, Biberach an der Riß, BC
 St. Blasien
Wohnplatz (15605)
 St. Blasien, WT
 Uttenweiler Wohnplatz
(17733)
 Uttenweiler, BC
 Wenedach Wohnplatz (17469)

Wenedach, Ochsenhausen, BC
 Wiblingen Wohnplatz (16651)

Wiblingen, Ulm, UL